

te adhuc pendebit; is vero auditis partibus,
quemadmodum de alia quavis Causa privata
cognoscito.

CAPUT XXXV.

De Feriis.

§. 399.

Dies a Judiciis vacui , seu feriati sunt
Dominici, festi de præcepto, Dies a festo
Nativitatis Domini usque ad Epiphaniam , a
Dominica Palmarum usque ad secundum Pa-
schatis; tres Dies Rogationum; Dies a festo
Corporis Christi usque ad Octavum , seu
Diem Jovis subsequentem.

§. 400.

Dies feriatos pro Causis audiendis præ-
stitui non liceto; præterquam si Judici comper-
tum fiat, e dilatione uni vel alteri Parti dan-
num, vel periculum damni obventurum.

§. 401.

Scripturæ, quibus producendis terminus
hac Constitutione præfinitus est, etiam in die-
bus feriatis, exceptis tamen diebus Dominicis
et festis de Præcepto; illæ vero, pro quibus
Judex terminum assignare debet, die præfixo
porrigendæ sunt.

§. 402.

In terminis a Judice determinandis am-
plioribus diebus 14. feriæ semper inclusæ fun-
to; non vero in illis, qui tantum 14. dies vel
pauciores continent; Judex tamen hoc in casu
terminum habita ratione intercedentium feria-
rum restringere potest.

§. 403.

Judex Scripturis porrigendis nunquam
diem feriatum præstituat, nisi dilatio dāmnum
vel periculum dānni uni vel alteri parti afferre
queat, utriusque tamen parti liberum esto,
scripturas ante terminum præfixum, et etiam
intra ferias, dummodo dies Dominicus, vel
festus de Præcepto non sit, exhibere.

§. 404.

Pro reliquis Actibus judicialibus in fériis idem obtineat, quod pro Scripturis porrigen-dis præscriptum est.

§. 405.

Judex in præfiniendis Terminis pro Personarum Conditione ad tempus Messis, ac Vindemiarum pro eo, ac par erit, respiciat.

C A P U T XXXVI.

De intimatione Decretorum, ac Mandatorum judicialium.

§. 406.

Primam Scripturam in Causa porrigen-s, in eadem habitationem suam, nisi jam alias publice nota sit, indicare debet, secus suspen-so interim Decreto, quod juris eslet, petens de hoc admonendus est.

§. 407.

Primum Decretum, quod super lite fiet, Reo convento ad proprias manus transmit-